



VIRO ILLUSTRISSIMO

DD. LUDOVICO-ALEXANDRO

DE LA

ROCHEFOUCAULD,

Duci *DE LA ROCHEFOUCAULD* & *DE LA ROCHEGUYON*,

Principi *DE MARSILLAC*, &c. &c.



UX ILLUSTRISSIME,

CONJUNCTIORIS quam mihi tecum permittebat olim tenerior, imparisque nescia conditionis ætas, necessitudinis memorem te præbere nunquam dedignatus es. Nec acris militiæ tirocinia, nec assiduus litterarum, linguarumque

variarum cultus, nec frequentiora cum viris artium ac scientiarum laude florentissimis colloquia, nec adeò providè confecta apud exteras gentes itinera benevolentiam tuam à me potuerunt avertere. Ego virtutum quas in te nasci primùm & adolescere, virescere dehinc atque florere vidi, contemplator, admirator, amator, quâ possem ratione certius quoddam tibi dare sinceræ quam de iis conceperam existimationis, altiorisque meæ ergà te venerationis testimonium, apud me ausus sum meditari. Præsentem ideò quæ sese ultrò obtulit occasionem, eò avidiùs ac libentiùs arripui, quòd opusculum hoc, etsi minimum est, publici tamen juris evaserit. Hanc itaque Thesim non tuo, DUX ILLUSTRISSIME, nomini, non splendidioribus quos geris titulis, sed tibi tuoque potissimùm candori, morum tuorum mansuetudini, tuo litterarum amori, humanitati tuæ, ipsique demùm munusculum hoc reformidanti modestiæ dico atque consecro

LEVACHER DE LA FEUTRIE,
D. M. C. & S. F. M. P. Baccalaur.



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. LXVII.

M. ANTONIO-JOANNE-BAPTISTA-MACLOVIO GUENET, Doctore Medico, Præside.

An sui sint Capiti, Pectori, Abdomini & Artubus sensus peculiares, & reliquorum corporis humani sensuum reverâ principes?

I.



HOMO quid sit ubi sedulâ mente conspicitur, illud primùm advertere simul ac dolere contingit, quod is hodiè vivus ac sanus, cras ægrotaturus sit, aut exanime corpus exiturus. Vita, sanitas, passio, mors veram illius conditionem faciunt, quò revocanda sunt singula quibus, quandiù degit in terris, afficitur, idque referendum omne, quod de ipso Medicis speculandum est. Id verò solet attentos perscrutantium oculos in admirationem rapere, quod è simplicissimâ partium organicarum fabricâ pulcherrimi exoriri effectus, & è fontibus quasi uniuscujusque captui obviis stupenda maximè rerum miracula prodire videantur. Neque enim à solo motu vitam omnem absolvi tantùm obstupueris; quàm multa proh Deus! quàm immensa hinc prodigiorum caterva prorumpit!

Homo quandiù vivit, vigilat aut dormit. Si vigil eas exerceat facultates quibus à Naturâ donatus est, manifestò *cogitare* videtur, quæ præterita sunt *meminisse*, futura *prævidere*, præsentia *componere*, de comparatis *judicare*, *ratioci-*

nari; cujus *gesta* extùs merè mechanica, intùs assiduò ad scopum dirigi & collimare, nec eum unquam absquè *proposito* agere deprehendes, quod *bonum* aut *malum* pro ratione reputaveris.

Intereà quantumvis pateat universa illa rerum omnium immensitas, homo cuncta ad se referre minimè dubitat; ac veluti medio in Orbe constitutus esset à Naturâ, proprium in singula judicium explicat, & essentiam suam, in ea quæ sunt, amat expandere. Frustrà sua eum physica parvitas finitos intrà limites contineri monet, sensûs impatiens quo deprimi se autumat, indignatur utiquè, propriique ultor ingenii, negata sibi in ea quibus circumsepitur, jura vindicat. Quia vi potest, enititur audaciâ; & si vires experiatur adversas, seque viribus indigere percipiat, continuò notas ad artes confugit, novas excogitat; per calliditatem jam & astutias tendit ad scopum, parvìque refert quî & undè benè se habeat, modò bono fruatur optato, sibique fiat quamabundè satis.

Diversis autem quos de die exercuit motibus defessus homo benigno tandem sopore concidit involutus: nec aliter ac si narcotico singula illius organa spiritu afflarentur, altiori veterno brevì totus obtorpescit. Nil ille jam de animantis indole quidquam obtinet, præter singularem habitum, cognitaque peculiaris vitæ phœnomena, respirationem, cordisque pulsum & arteriarum. Jacet jam inertissima ordinata illa mirabiliorum organorum compages, pluribus inimicis quasi præda certa, ni se se contrà hostiles impetus præmunire didicisset.

Natura igitur hominis quantò penitiùs intelligitur, tantò clariùs animantis natura agnoscitur, cujus acta, actorumque ratio; judicia, prævisi successus; sapientia, prudentia, inventa, artes *intelligentem*, virtutes verò *benè volentem* animum ita arguunt, ut homo *rationale animal* verissimè fuerit ab omni ævo definitus.

Verùm id profectò fuit supremo Numini consilium, ubi animalia condidit, ut materiem quamdam peculiari modo fabricaretur, iisque tantùm organis instrueret, quibus illa suâ sponte posset vitam alere, quam ab ipsomet acceperat. Insunt cuilibet animalium generi vitæ quædam principia, vitæ certi fontes. At quis in medicis hospes est adeò, ut principium vitæ hominis innatum cordis motum esse, minùs didicerit, vitæque fontes ab alimentis partim, partim ab iis visceribus oriri, quorum actione alimenta in nostram substantiam penitùs immutantur?

Quum autem lege forsitàn necessariâ, utpotè rerum creatrice, sancitum fuerit à Naturâ, ut motus, quiquis ille sit tandem, semetipsum destruat, primum animantibus à motu vitali periculum esse debet. Nec enim aliundè solidorum attritus, condensatio, abrasio, in fluida resolutio, fluidorum attenuatio, divisio, vaporatio, undè insensilis corporis animati ruina, senile decrementum, absolutaque demùm universarum functionum abolitio (1). Neque verò solus, qui vita est, motus hominem afficit; cum partes omnes in corpore humano ita certo ordine, certâ ratione conditæ sint & appositæ secum, ut inter eas nulla, etiam atque etiam nulla sit, quæ suâ ad quaslibet alias relatione careat; cum ut eadem singulis origo, sic & singulis finis idem sit, singulæ tendant eòdem, hinc nullum ibi punctum animadvertas quod variare possit, nisi protinùs diversæ illius relationes immutentur, nullam vel in minimâ harumcè partium mutationem accidere, nisi etiam naturalis totius corporis alteretur œconomia. Ac quemadmodùm lineam lineæ perpendicularem, ne uno quidem punctò dextrorsùm aut sinistrorsùm inclinare finxeris, quin illicò mutentur anguli, totumque, si quod est, frangatur æquilibrium, ita de suo statu dimoveri nequit humana fabrica, quin harmonicus ille hominis habitus omninò conturbetur.

(1) Boerrhaave Instit. Med. parag. 434, & seqq.

Si ergò motum animantibus inditum perennare voluit Deus, qualeque id fecerat, tale animal perdurare, necesse fuit sanè, ut motûs illis effectibus occurreret, iisque porrò dotibus materiem animatam ornaret, quibus ipsa non tantùm assiduas, quas ab interno motu passura erat, jacturas resarcire, sed etiam singulis motuum externorum impressionibus obvenire sciret, sciretque mederi.

Quoties itaque quâcumque occasione accidet, ut è conditione suâ, quæcumque tandem fuerit illa, dimoveatur corpus humanum, sivè id à motu vitali intùs, sivè extùs ab ambientium corporum viribus eveniat, toties omni dubio procul afficietur, disrumpetur æquilibrium, toties homo reverâ *indigebit*. Ut ergò vitam suam propriâ sponte aleret, *indigentias* suas *nosceret* opportuit, quid iis supplendis aptum esset *discerneret*, idque vel congruens sibi applicare, vel nocivum à se avertere *valeret*. Hinc in homine primùm *passio* ab *indigentiis*, *passionisque organa*, quoad corpus; quoad animum, passionis corporeæ *sensus intimus* & *perceptio*: deindè *appetitus sensuumque externorum organa* & *instinctus*, quoad corpus; quoad animum, *sensationes* & *intellectus*: deniquè *fortitudo*, *fortitudinisque organa* & *actio* quoad corpus; quoad animum, *voluntas* & *determinatio*.

Hinc etiam variæ sensuum sedes sunt, varia munia: alii vigilantissimi corporis custodes, ideò facti, ut de indigentiis suis admonerent hominem, in intimioribus corporis animati penetralibus, in ipsismet organis cuique sensui propriis insidere debuerunt; alii verò eò dicati, ut veram ac germanam, quæ indigentiam inter & materiem huic supplendæ idoneam, utiquè reperienda fuit, analogiam discernerent, per exteriorem potissimùm ejusdem corporis superficiem expandendi fuerunt; undè *passionem* priores in animante, *sensationem* facerent posteriores, hi *impulsionem* crearent, illi *necessitatem*.

Indè jam luculenter apparet corpus humanum per omnia trunci & artuum puncta verè sentire; undè velut objecta sensuum, ita sensus numero carere minùs dubium videtur. Verùm ex innumerâ illâ sensuum multitudine plurimi, ea quæ intùs geruntur, exteriùs manifestant; plurimi analogi sunt, eòdemque referuntur: an igitur sensus sint certi quidam in singulis corporis cavitatibus & membris cæterorum sensuum quasi fontes & principia juvat hîc inquirere, & sua inesse Capiti, Pectori, Abdomini & Artubus horumcè peculiarium sensuum organa, sic in hâc meâ disquisitione probare conabor, ut sincera indè, nec inutilia praxi, consectaria proliciantur.

II.

QUONIAM ex iis quæ jam in antecessum prælibavimus, manifestum est hominem, quatenùs animal, primùm ab indigentiâ pati, ideòque sensibus eum, ac sensuum organis interiùs & exteriùs à supremo Numine fuisse instruendum, indè sequitur Caput hominis intùs extùsvè sentire, & sua illud cum exteriora, tum interiora sensuum organa possidere. Suum insuper sibi esse sensum præcipuum, ad quem cæteri omnes partis ejusdem sensus revocandi sint, ex iis quæ modò dicemus evidentissimè patebit.

Ac primùm quidem si caput hominis curiosâ attentione perlustretur, tam magnifico hîc, tamque artificioso sensuum apparatu mens percellitur, ut ne unam quidem ibi monadem esse credas, quæ suâ vitâ simul & suo sensu peculiari defraudetur. Prætermissis enim quæcumque de nobilissimorum sensuum usibus docet Physiologia, dum in eam calvariæ partem, quæ *vultus* nuncupatur, tantisper oculos conjicimus, singularem imprimis, & homini propriam faciem miraculis & sensibus quasi conspersam utiquè suspicimus & admiramur. Quanta nempè in ore humano majestas! Facies quàm benè naturæ nostræ dignitatem arguit! Ut inibi divina illa emi-

net supremi Numinis effigies, quâ cæteris terrarum animantibus tantò præstantiores efficimur! Ut spirat ibidem illa aura cælestis, quæ sese per acutioris ingenii flammulas inexhaurienda dispergit!

Humanæ videlicet fronti summus honos; at fronti qualis sensuum cohors insidet! Ibi, genuinas per antitheses, timorem nihil, omnia verò temerè molientem audaciam recubare videas: ibi majora tentantem, captantemque singulos animi magnitudinem, & dedecorantem benè nata pectora socordiam: ibi morum austeritatem, atque mansuetudinem; maturum viri cuncta ponderantis judicium, & infantem pueri nil aggredientis pudorem: ibi senectutis novorum impatientis rugas, rugarumque comites assiduas, morositates, & summam pertinacitatem. Verbo dicam, frontem maximorum sensuum sedem, & fortiorum animi pathematum theatrum conspicuum non absurdè pronuntiaveris (2).

Neque porrò suis carent supercilia sensibus, quibus regum majestas, militumque virtus & tyrannorum crudelitas explicantur. Nasus ipsemet à quo tantus oris decor hominis, suusque vultui habitus, sua dignitas & excelsitudo, qui suavissimâ diversorum tot & fragrantiorum, quos excipit, odorum voluptate totum abdomen ad libidinem allicere potest, ut alternâ pinnarum expansione & contractione, ut suopte pallore lætitiam, mendacium, pavorem disertim eloquitur (3)!

Ast oculi, si quæ pars in vultu sentiat quid, promptissimis verò ac numerosissimis scaturiunt sensibus (4). Ut enim sublimiorem illam facultatem omittam, quâ perfusa lumine corpora sic sentimus, ut ipsa videamus, undè & quonam organo secundarios illos varii generis sensus percipimus, quibus veras *Boni*, *Pulchrique* & *Admirationis* imagines apprehendimus? Undè & quonam organo blandissimi illi amantis Naturæ sensus animum irrepunt, quibus ad aspectum rei amabilis vel inviti suscitamur, accendimur, inflammamur? Undè & quonam organo invincibilem illam experimur propensionem, quâ ad ea ferimur, quæ nobis profutura credimus, illudvè non impar odium quo declinamus ac fugimus ea, quæ nobis nocitura esse judicamus? Undenam demùm oculi mentis humanæ fenestræ nominati sunt, variorumque testes ingeniorum appellati? Jamvero vobis, ab oculis, puberes cavete, pueri; maturæ jam, vobis cavete, virgines; gerunt ipsi Cupidinis sagittas, fœtas curis & mœroribus, dulces unàque crudeles sagittas, carissimam eheu, sed prædatricem etiam in teneris cordibus flammam accensuras!

Verùm oculi hos, & id quod ultrà sentiunt, vividissimo & acriore quasi quodam tactu sensus excipiunt, qui hominem ad iracundiam abripit utplurimùm, ipsumque trans modum & rationem vel invitum ac reluctantem impellit. Sensu quantò leniore sentitis, quantò mitiore nos aculeo tangitis, rubentes jamjam, pudibundæ, genæ, puellæ! Scilicet prima inibi & castissima dulcissimorum sensuum incunabula: ibi gratissima proprium dicere amorem timentis infantia, & amoris cuncta metuentis ac reformidantis irrequieta sollicitudo. Quàm profundos inibi, ut ita dicam, sulcos exarat animi teneritas! Quàm alta ibidem vestigia imprimunt auscultati sermones Amasii, Parentum, Magistrorum, Judicum, Imperantium! Vix ullum concipias in toto vultu organum, quod evidentiùs sentiat atque potentiùs, nisi fortè labia exceperis, quæ cariorum capitum labiis applicata & fermè adunata ita sentiunt, ut omnes omninò cerebri sensus interturbent, ut quod pectus diligit (*a*), quod venter amat infimus, totum id exprimere, & quasi sugere videantur.

(2) Celeberr. hujusce Scholæ Mag. Ant. Petit, in suis Demonstrat. Anat.

(3) Idem & ibidem.

(4) Id. & Clariss. de Buffon Hist. Nat. Tom. IV, pag 218.

(*a*) Quid per has voces *diligere* & *amare* hic intelligendum sit paragraphis III & IV. clariùs elucescet.

Quid dicam de aurium ſenſibus, quas genuina ſonorum organa eſſe omnes à Naturâ didicimus? Ut oculis, naribus & palato, ſic & auribus profectò primum ac præcipuum munus tribuendum eſt, ut animantis vitam ac ſalutem pro ſuâ parte tueantur, ideòque ſpecialiùs ea pericula ſentiant, quæ nobis ab ambientium corporum motibus ac ruinis impendere novimus. Sic ab auribus tremor ille per univerſum vagatur hominem, qui ex horrendis tonitruum mortem undequaquè minitantium, aut ex eorumdem æmulis bellicorum tormentorum fragoribus enaſci conſuevit. At quot & quàm varios generare amant ſenſus varii ſonorum moduli, quos adeò numeroſè condere, adeò voluptariè maritare didicit muſicorum hominum ſublimis ac penè divina ſolertia! Quis abſquè ſuaviſſimo delectationis ſenſu Poetas audivit unquam, ubi Deorum pugnas, aut Heroum geſta carmine cecinerunt epico; vel quoties viris inſigniori virtute, triſtiorique fato nobilibus tragicis parentaverunt affectibus; vel ubi Pana, paſtorumque lucos, & placidos Nimpharum amores amiciori melo, plectroque concordi colluſerunt? Sic eſt: quemadmodùm oculis, ita auribus ſuæ ſunt fibræ, quas ad amicitiam & amorem, ad voluptatem & libidines ſentire nullus inficias iverit.

Interiora jam capitis organa ſentire quis negaverit, ubi homines conſideraverit ſtudioſos, qui quas ſenſibus externis ſibi compararunt rerum notitias cogitatione recudunt, aſſiduâque meditatione perficiunt? Dum etenim eorum animus in contemplandis cerebri ſui ſenſibus totus incumbit, nil illi prætereà vident, audiunt, tangunt, ideòque qualia tum ſentiant viſcera demonſtrant ſingula quæ in iis apparent phænomena, morbique in quos proni ruunt plerique litterati.

Evidens eſt autem ſenſus eos quos faciei particulares dicimus, faciei partibus non ſic inſidere, ut omnes in illis, tanquam organis ſuis, innaſcantur, ſed eorum aliquot meros eſſe diverſorum partis alterius ſenſuum indices, meroſque teſtes. Notum eſt etiam partes omnes, quas more ſuo ſentire minimè dubium eſt, ſuos à cerebro ſenſus mutuari, ſuaſque affectiones ad cerebrum referre (5). Prætereà nervos eſſe totidem cerebri propagines, quibus illa peraguntur (6). Cerebrum igitur unicus eſt ſenſuum fons, & finis unicus, qui per univerſam corporis habitudinem expanditur; undè corpus animatum verè unum eſt & individuum, cujus ſingula, ut jam dixi, puncta arctiſſimam habent ad ſe invicem relationem. Jure hinc meritiſſimo cerebrum in homine *ſenſorium commune* dicitur, *communiſque ſenſûs* ſpecialius organum habendum eſt; ideò que ſui ſunt reverâ capiti ſenſus peculiares.

At ſi quis ea quæ præmiſimus attentè perpenderit, illud animadvertet, ſenſus quotquot ineſſe capiti aſſeruimus, cæteroſque, quos huic cavitati proprios eſſe aliundè conſtat, omnes, aut quæ res ſint, hominem, aut quis ſit homo alia entium genera edocere, quæ Natura cognitionum capacia finxit; undè per eos, qui ab organis capitis oriuntur, ſenſus, homo *cognoſcit*, & *cognoſcitur*. *Cognitionem* igitur ſenſum eſſe Capitis principem, ad quem cæteri omnes primariò revocandi ſint, non injuriâ profitebor (*b*).

III.

ILLUD eſt ſingulis animantibus inſitum, ut quo inſtanti vivunt, exiſtentiam ſuam ita *diligant*, ut ſolidum vitæ ſuæ curriculum abſquè ullo incommodo traducere omni ope atque operâ enitantur. Hinc hujuſcè theſeos initio diximus omnia

(5) HALLER, Elem. Phyſiol. Tom. IV, pag. 316.
(6) Ibid. pag. 186.
(*b*) Veteres *intellectualem* animæ facultatem in Capite reponebant, quæ facultati *iraſcibili* & *concupiſcibili* imperitaret. *C. Bauhini Anat. Lib. III. cap.* 1.

in homine ita comparari, ut ſingula ad vitam ejus alendam conſenſu verè mirabili conſpirent, reſque ſic à ſummo omnium Authore Deo ordinatas eſſe, ut partis alterius altera poſcat opem, & amicè conjuret. Ea eſt certa hominis conſtitutio, quam Græci φύσιν, *naturam* Latini prædicaverunt.

Neque hîc intempeſtivè meminerimus, ut res ita perennarent, homo ſentiret oportuiſſe, variaſque quibus circumdabatur materies ſic cognoſceret, ut multiplices ſimul earum modificationes apprehenderet. Non etenim tantum retulit hominis res ſibi objectas percipere, illud imprimis ſentire debuit & quales res eſſent, & quid in propriam ejus eſſentiam à Naturâ valerent. Hinc *cognitionem* cuilibet anteire ſenſui vidimus, & unamquamque corporis noſtri partem idcircò nervum ſuum, ceu cerebrum, poſſidere.

Nullam autem in corpore humano partem eſſe docet Anatome, quæ præter nervos quos à cerebro habet, vaſa alia non mutuetur à corde, quæ vel ab ipſo illi ſanguinem advehant, vel eundem ab eâ ad ipſum cor motu contrario referant; adeò ut ſi cerebrum caputque quaſi totum, mediantibus nervis, ubiquè reperiatur in homine, cor etiam & totum veluti pectus, mediantibus ſanguine, ipſumque vehentibus vaſis, per univerſam undequaquè corporis habitudinem expandatur. Cor verò vaſaque ſanguifera ea ſentire videntur, quæ præſenti horæ momento vitam impetunt, quocumque tandem organo & ſenſu objectam ſibi rem homo cognoverit.

Viros enimverò cernite timidos & imbecilles, & eos quotquot inſigniori, ut aiunt, organorum ſenſibilitate præditi ſunt; infantes & pueros, dibilioreſque cernite mulierculas : quàm benè in iis ſingulares cordis, arteriarum, venarum, pulmonum & diaphragmatis ſenſus percipientur ! Nempè videat puer, audiatvè, vel tangat inſolitum quid, quod ipſi prodigioſum, ut fit, ac portentoſum appareat, ut promptus, teneriore corde palpitante, clamitante ore, ſingultienteve pectore, almæ genitricis in gremium aufugit ac ſe recondit ! Sentiat item eorum quos modò nominavimus aliquis per aures oculos vè quid noti vel ignoti, majus undè, præſentiuſque periculum immineat, en palleſcent genæ ſubitò, labia denteſque contremiſcent, mox obſcurabuntur oculi, vultuſque brevi totus efferabitur. Pectus etiam quàm altè ſuſpirabit ! aut quàm anxiè conſtringetur! Ut crebrè corda ferient! Ut micabunt arteriæ! Quid plura? Venis ita demùm & arteriis, pulmonibus, ſeptoque tranſverſo (c) & cordi debentur pallores illi ruboreſque vultûs, illæ præcordiorum palpitationes, anxietates, ſingultus; febres illæ morteſque repentinæ, quæ ſeorſim ſingula, ſæpèque ſimul accidunt, ubi vita periclitatur, ut nemo dubitaturus ſit quin timor & metus, pavor ac terror ſenſuſque congeneres pectori ſint, pectoriſque partibus continuis verè peculiares.

Senſus verò contrarios, audaciam, iram, ſævitiam nonne cordi inſidere ex eo clarè oſtenditur, quod in iis qui in flammam ac furias minimam ob injuriam éxardeſcunt, cor magnum (7), calidumque ac penè fervidum, à calidiore ſanguine, temperamentum uſquè deprehenditur (8)? Senſus etiam quos *morales* vocant, ſivè ab amicitiâ prodeant, ſivè oriantur à benevolentiâ, non in aliis uſquam organis quàm corde, ſanguineiſque vaſis, & cæteris pectoris viſceribus ſedem habere vel uſitata probat loquendi norma, vulgariſque fabulandi conſuetudo. Nec injuriâ ſanè; cariorem enim ut amicitia vitam efficit, ac jucundiorem, ſic odioſam & intolera-

---

(c) Clariſſ. DE BUFFON diaphragma habet veluti præcipuum ſenſûs interioris organum. Hiſt. N.T. IV. p. 299.

(7) Id. Celeberr. Ant. PETIT in ſuis Demonſt. Anatom.

(8) Id. in ſuis Prælect. Phyſiol.

bilem facere nititur hoſtium inimicorumque truculenta ſagacitas, & induſtria; nec aliundè majus miſeris mortalibus diſcrimen eſſe omnes fatebuntur.

Quidquid igitur præſenti vitæ blanditur, quidquid adverſatur eidem Pectoris viſcera ſentiunt, neque quidquam aliud ſignificant quæ tum in ſanitate, tum in morbis, à talibus cauſis obſervantur harumcè partium affectiones. Quos porrò ſenſus, cum ad vitam tuendam, quæ germana eſt cujuſcumque animantis dulcedo atque dilectio, unicè ſpectare videantur, *Dilectionum ſenſus* non ineptâ voce nominandos, ideòque pectoris viſcera habenda eſſe cenſeamus tanquam organa quibus homo ſeſe ſuîque ſimiles diligat, & alia quæque ſincerâ caritate proſequatur (*d*).

IV.

CUM diuturnioris vitæ cupido præſentis vitæ dilectioni proximus ſit & affinis maximè, conſervatioque ſuî cuilibet animalium generi æquè dulcis, æquè cara videatur, ſenſus eos quos in infimo ventre ineſſe dicemus, ſingularem cum pectoris ſenſibus analogiam habere nemo ſanè mirabitur. Ea eſt quippè viſcerum abdominalium cum pectoris viſceribus communio, illud eſt commercium, ut in his & illis promiſcuè habendis quiſque incautus facilè in errorem incidat.

Verùm id ante alia ſedulò conſiderandum eſt naturæ conditorem Deum hîc modo fermè eodem ac aliàs ſeſe geſſiſſe, Abdomenque ut undequaquè diſpergeret, linguam & fauces in buccâ conſtituiſſe, æſophagumque à capite per pectus ita duxiſſe, & per omnem corporis ambitum vaſa lymphatica diſſeminaſſe, ut corpus hominis hâc ex parte perindè unicum ſit, ac prorsùs individuum. Totam abdominis capacitatem nervoſam ſilvam diceres, aut capillitium inextricabile nervorum, Naturamque ibi, recollectum in capite cerebrum de induſtriâ diſſipaviſſe, ut unaquæque cavitatis ejus fibra, quæ totius animantis nutritioni dicatur, pro ſuâ parte ſentiret quæ vel minimum poſſent vitæ perpetuandæ conducere.

Cæterùm duplex conſervationis genus diſtinguendum eſt: alterum individuî, ſpeciei alterum priori perquàm analogum atque congruum. Ex quibus ſenſus illi peculiares enaſcuntur, quos *appetitus* nominaverunt. Notum eſt autem & argumentis inconcuſſis ſtabilitum, famem & ſitim æſophago, ventriculo, inteſtinis, totâque adeò chilopoïeſis officinâ perſentiri, neque alia eſſe talium organa ſenſuum à Naturâ. Neminem fugit, quotieſcumque viſcera illa iis ſenſibus afficiuntur, reverâ pati animal, tantòque magis pati illud, quantò diutiùs durant affectus, & ad alimenta, quæ materiem ſuppeditant urgenti indigentiæ exſatiandæ idoneam, aſſumenda idem allici potentiùs, ac vehementiſſimè ſollicitari.

At gaudium, triſtitiam, mærorem, iracundiam, melancholiam, crudelitatem, miſericordiam, ſenſuſque congeneres, quibuſnam, amabo vos, organis inſidere cenſetis? Nonne à ſaturitate gaudium & exultatio (*e*)? ab inopiâ languor & triſtia? mæror à fame (*f*)? ab ebrietate rerumque omnium expletione crudelitas (*g*)? Nonne temperantiæ miſericordia ſoboles? Undenam bilioſi homines iracundi, melancholici verò hypochondriaci nominati ſunt? Undenam abſquè viſceribus eſſe dicuntur immiſericordes? Nonne indè, quòd niſi penitùs indiſcriminatim omnibus,

---

(*d*) *Iraſcibilem* animæ facultatem in Pectore ſitam eſſe Veteres arbitrabantur. *C. Bauhini Anat. lib. II, cap. I.*

(*e*) Ludunt ipſa poſt paſtum animalia quæ bruta dicuntur.

(*f*) „ Qui conſumitur inediâ, huic triſti quodam languore præcordia contrahuntur. *Fern. lib. de facultatib. animæ, cap. XIX.*

(*g*) Alexander, poſtquam Aſiâ potitus eſt, rerum ſatur & à convivio temulentus amicum ſuum Clytum interfecit. *Quint. Curt. lib. VIII. cap. I.*

ita certè ſingulis abdominis viſceribus incubant hujuſmodi ſenſus, ut ſecum invicem arctiſſimè conjungantur? Nec verò mirum id ulli futurum eſt quod adeò complicentur unà, ſimulque commiſceantur, ſi quas mediantibus nervis, telâ celluloſâ, ſanguine, munere & officio ſecum habent abdominalia viſcera, neceſſitudines contigerit meminiſſe.

Amorem porrò ſivè phyſicè ſpectaveris, ſivè conſideraveris ethicè (*h*), ſenſum abdomini peculiarem eſſe continuò deprendes. Norunt omnes, ubi primùm in utroque ſexu corpus animatum ita crevit, ut mortem ignoto ſenſu præſentien vitam ardeat redundantem impertiri, quàm magnæ, quàm ſubitæ fiant in eo mutationes; ut in infimo ventre præſertim ſuos exerant effectus, ſua pandant phænomena; ut à flagrantibus puberum appetitibus ac deſideriis, non ſecùs ac à diverſis puellarum languoribus facilè dignoſcantur, prævideantur.

Scilicet eò natum videtur abdomen, ut omnes voluptatum ac libidinum geſtet pariatque ſenſus. Indè quidquid in vitâ dulcius ſentiri ab hominibus poteſt; mortales indè cunctos regi videas atque gubernari; indè virtutes omnes, omnia propè ſcelera. Quàm ſuavi tentatur affectu qui pleniore manu bona fundit in miſeros, & vitam undequaquè largitur! Fames verò quid non mortalia pectora cogit? Quid non ſuadet ſitis? Naturæ latè rex amor vitam ubiquè dulciſſimam impertitur; quo ſceptro reges, eodem colonos exercet. Cernis ut ad fortia quæque per ferrum & ignes, per ſexcenta pericula ruat cœcus amans? ut mortem horrendam, hoſtiumque cohortes contemnat ſenſu magnis diſcriminibus majore? Aſt æratas ſcandit amor turres, portas infringit urbium, mœnia ſubvertit.

Sui ſunt igitur Abdomini ſenſus, quos neque capiti finxeris ineſſe, neque pectori, neque ullis quibuſquam generis alterius organis. Qui cum ad conſervationem individui, ſpecieique propagationem, genuino conſervationis tractu, referendi ſint, amori ſuî omnes adſcribendos eſſe autumamus; ideòque *ſenſus Amorum* in abdomine conſtare non ego deteriori jure contendero (*i*).

V.

NON ſolùm corporis humani cavitatibus ſuos peculiàres ſenſus ineſſe crediderís: ſui ſunt etiam Artubus omninò diſcolores, quos nullis prætereà partibus ullo judicio tribueris. *Senſus* dico *Virium*, ſeu *Fortitudinis* (*k*), undè *ſenſus* videas emergere *Libertatis* (*l*).

Si conſideremus enim quam ob cauſam hominem artubus inſtruxerit ſupremus naturæ opifex Deus, id reperiemus, artus ſuperiores illi propriam ad defenſionem contrà hoſtium ſuorum impetus, ſimulque ad ea ſibi comparanda conceſſos, quibus indigebat; inferiores verò ad nutrimentorum indagationem, fugamque periculorum. Hinc alimenta primùm petimus inſtinctu, deindè quærimus per labores. Hinc tactus ſpecialior ſenſus artuum eſt, qui diverſus in diverſis corporis partibus univerſalem inſtituit, organo ſuo, cute, mediante, conſpirationem ac ſingulare commercium, ita ut corpus humanum ex illâ perindè parte unum ſit ac prorsùs individuum.

Similiter indè ſequitur cæteris ſenſibus obtemperare debere artus, quos ideò ſentire dixerim, quia cætera corporis organa ſentiunt, & ea præcipuè ſentire,

(*h*) In libro Joannis ASTRUC, cui tit. *Traité des Maladies des Femmes*, tom. II, cap. XII, *de furore uterino*, lege phyſicos & morales Amoris effectus.

(*i*) *Concupiſcibilem* animæ facultatem in Abdomine Veteres repoſuiſſe patet ex notâ ſuperiore (*h*).

(*k*) „ Milo Crotoniates eum jam conſenuiſſet, videns Athletas in certamine exerceri, ſuos lacertos intuitus „ iam ſenio defectos, illachrimaſſe fertur ac dixiſſe: *At hi quidem jam mortui ſunt.* M. T. Cic. Cato maj.

(*l*) Non hîc de *libero* animæ *arbitrio* ſermo eſt, at de illo tantùm libertatis ſenſu quo membra movemus, ubi nullo impedimento coercentur.

quæ corpori faveant, perniciemvè moliantur. Neque ſenſus eos artubus peculiares eſſe ullus negaverit, qui attendet quantâ celeritate moveatur ad vitam defendendam manus, ad arripiendum alimentum, amorisvè ſui palpandum objectum; quàm promptè & alacriter pedes ad ea conſequenda rapiantur, quæ ſummoperè deſiderantur, aut ea fugienda, quæ judicantur nocitura.

Forſàn & eò loci paradoxon ego proferam; ſed actus eos ab animo volente minimè fieri diutiùs tacere non poſſum. Non enim magis voluntarius eſt quorumcumque motus muſculorum, quàm cordis: cujus quidem cum ſit munus & officium vita præſens, dum alii muſculi id objectum habent, ut vitam à corde oriundam conſervent ac tueantur, cor causâ perennante ſollicitaretur ad agendum opportuit, cæteri verò muſculi in iis tantùm caſibus agerent, in quibus de vitâ cogitandum erat homini, ſivè id à naturalibus indigentiis, ſivè ab imminentibus periculis eveniret, adeòque moverentur aliàs, aliàs verò conquieſcerent.

Senſus autem ille quo agunt muſculi ſenſûs ejus communicatio eſt, quem experiuntur organa quibus corporis indigentiis invigilare datum eſt, vel de periculis impendentibus admonere. Ita ſtatim ut eſurientis oculus panem videt, manus conſenſu vero, non ficto, ad capiendum panem exardeſcit, nec poteſt eſuriens velle manum non movere, niſi ſenſu potentiore ab agendo deterreatur. Imò ſi ſupponatur eum religari, manus ardens convulſivis agitabitur motibus, quemadmodùm cor impedimento palpitaturum eſt ac febricitaturum.

Idem porrò de artubus inferioribus judicium tuleris. Neminem latet quàm ſæpè accidat, ut ſemel impreſſo cruribus motu, vel inopinantes deambulemus *(m)*; ut ad currendum nemo tardus, ubi de nutrimento ſibi comparando agitur; ut fruſtrà periclitantem irretire tentaveris, modò præſentius quoddam diſcrimen adeſſe ſentiatur.

Non ulli jam ſuperſunt diſcutiendi ſenſus præter illos, quos artubus verè proprios eſſe nemo, ni fallor, diffitebitur: *ſenſus Potitionis* ac *Libertatis.* Cuinam etenim organo illum tribueris manûs præmium accipientis, conjugemvè dilectiſſimam palpantis ſenſum ac blandientis, qui hinc ad alias quaſlibet corporis partes ſeſe diffundit, delirium in capite, palpitationes in pectore, venerem ac voluptates in abdomine ſuſcitaturus? Cuinam organo, niſi inferioribus extremitatibus illam conceſſeris digitorum pedis trepidationem, tibiarum que veram alacritatem, quâ quiſque abreptus id aſſequi contendit, quod tam ardenter expetivit menteque tam ſollicitâ concupivit?

Quàm gravi demùm onere liberari ſe ſenſerint, dicant qui experti ſunt, ſimul ac excuſſo tandem miſerrimæ ſervitutis jugo, dulciſſimam ad libertatem, veluti de morte ad vitam quaſi remeare conceſſum eſt! Quàm gaudentes exagitabant brachia! Ut crura hàc & illàc circumagebant! Ut ſaltabant, lætabantur!

COROLLARIA.

PRIMUM: Ex iis quæ huc uſquè protulimus primùm apparet quænam ſit *natura* hominis; ut corpus animatum verè unum ſit & individuum; ut ſingulæ partes inter ſe conſentiant, quâque ratione diſſentiant à ſe ſingulæ.

SECUNDUM: Veteres Medicos non ineptè eâ de re ſenſiſſe.

TERTIUM: Clarum eſt quid & undè ſit *inſtinctus* in homine; quomodò inſtinctu

---

(m) „ Curſor quidam publicus medio itineris ſui loco, poſtquam hauſtum vini biberat, integram ferè „ horam in viâ planâ dormiendo, & quidem ſine hæſitatione progrediendo, abſolvere ſolebat; quod ju- „ cundum ſpectaculum aliquoties ipſe obſervans vidit & miratus eſt Joan. JUNKER, *Conſpect. Phyſiolog.* in-4. pag. 127.

agamus, ideòque qnoufquè folvi poffit præclarum hoccè problema : *Affigner les bornes de l'instinct, & les commencemens de la raison dans l'homme.*

Quartum : Quibufnam potiffimùm artibus difcrepet à vegetante animal, indèque libri illius refutatio cui titulus : *L'homme plante* (10).

Quintum : *Appetitum* in animante effe cognofcitur abfquè ullâ animantis participatione ; Medicum ideò in morborum curatione femper ea miniftrare debere ægris quæ vehementer appetunt, quidquid fit tandem illud quod à naturâ fic efflagitatur. Moderari tamen in eo agendi normam Ratio debet, fanctiorque Ratione Religio.

Sextum : Nervi quid poffint in corpore, quid agant intelligitur; unos infuper & eofdem fenfui, motuique fimul & nutritioni dicari patet, nec variare, nifi quia partes adeunt non iifdem ufibus deftinatas.

Septimum : Certum eft eorum pleraque quæ fenfibus internis obvia funt; non omnia tamen, ab externis priùs excipi.

Octavum : Experimenta verò de *irritabilitate* & *fenfibilitate* partium à clarioribus neotericis inftituta propofitioni noftræ minimè refragari ; ex quibus omnibus libenter & invictè concludimus :

Ergò fui funt Capiti, Pectori, Abdomini & Artubus fenfus peculiares, & reliquorum corporis humani fenfuum reverâ principes.

(10) *Œuvres Philofophiques, IVe. Mémoire.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus JEANROY, *Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius, & Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeffor defignatus.*

M. Auguftinus ROUX, *Regiæ Societatis Rei Agrariæ, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalenfis Socius, & utriufque Pharmaciæ Profeffor defignatus.*

M. Achilles - Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE, *Eques & Cenfor Regius.*

M. Cæfar COSTE, *Cenfor Regius.*

M. Petrus-Joannes-Claudius MAUDUYT DE LA VARENNE.

M. Stephanus D'HUAUME.

M. Paulus-Jacobus MALOUIN, *Medicus Reginæ Ordinarius, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenfis Socius, necnon Regius Chimicorum Librorum Cenfor.*

M. Joannes-Baptifta BOYER, *Antiquus Facultatis Decanus, Regii Ordinis Eques, Regis Confiliarius Medicus in fupremo Senatu ac in generali præfecturâ Parifienfi, Militarium Regni Nofocomiorum Infpector, Cenfor Regius & Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

M. Bernardus DE JUSSIEU, *Regi à Confiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenfis Socius & in Horto Regio Botanices Prodemonftrator.*

Proponebat Parifiis, THOMAS LEVACHER DE LA FEUTRIE, Ebroïcenfis, Doctor Medicus Cadomenfis, & Salub. Facult. Parif. Baccalaureus, Thefeos Auctor. A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerf. & Facult. Med. Parifienfis, Typographi.